



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Art. I. Ingressus in rem. Mnemosynon Magistri valedicentis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

dispositis ad copulationem cum alijs, ut nec malleo, nec securi, nec ferro opus fuerit, ad melius aptandos, tamen ad firmitatem iuncturae necessarium erat adhibere materiam intermediam, qua copularentur, ac firmiter cohererent. Hac communiter solet esse Calx, vel vda, vel harenato lita, vel alio modo intrita, ut esse possit ferrumen camentorum, vnde & camentum vocetur, quamuis hoc propriè sit lapis rudis, nondum casus. Omnem talem materiam Glutiño designo, licet hoc specificè sumptum ad collam constringatur, sed nos Gluten vel Glutinum latius sumimus. Qua acceptione dictum reperio, aedificatores Templi, (a) Salomonice caele lapides inter se conglutinasse.

QVIS autem sit optimus usus Glutini apud Aedificatores, Domus Sapientiae, docui olim Auditores meos, quos in Philosophiâ Aristotelica triennio erudieram, cum ijs, absoluto Philosophiae curriculo, valedicerem, (b) hoc relicto Memoriali, vt Quilibet, si optime sibi consultum vellet, DEO Sapientiae Domino arctissime agglutinaretur. Quod ultima apud ipsos praelectione factum. Quamvis huc transferam, reor fore aliquod operae pretium, & ad huius materiae explicationem accommodatum aequè ac fructuosum.

(a) Cornel. lib. 3. Reg. 6.7. (b) Anno. M D C VII. Pauli V. tercio. Herbipoli in Franconia,

ARTICULUS I.

Ingressus in rem.

MNEMOSYNON MAGISTRI VALEDICENTIS.

BONUM habetote animum, Discipuli mihi percar.


In manibus terra non hic vos carmine longo,

Atque per ambages, & longa exorsa tenebo

Faciam hodie, quod peregrè abeuntes solent,

solent, qui familiaribus, & domesticis vno alteroue verbo symbolum amoris relinquunt, faciam, quod parentes amantissimi, qui discedentibus filiis præceptorum suorum iliadem vnius sententiolæ nucleo includunt; faciam quod Principes, qui proficiscentibus ad legationem fidis consiliarijs suis, multiplicia mandata vnius nominis sui signo in chartâ virgine exprimunt; faciam quod mercatores industrij & trapezitæ numularij qui, ut loquuntur, in summam summarum paucis redigunt rationes pecuniarias, multis numerorum cifris Arabicis expressas; denique faciam, quod morituri, qui testamentum condunt, & voluntatis vltimæ epitomen, ac legata quam plurima brevissimè in codicillo ponunt. Itaque, non nisi tribus verbis, amoris erga vos mei tesseram, mandatorum meorum volumen, denique, voluntatis extremæ decreta multiplicia exprimam, GLUTINO BONUM EST. Dicam hoc paullo clarius. PERVENIMUS hodie ad metam, non tam Curiosus Philosophici, qui metam non habet, cùm vel in orbem eat gyro continuo, vel immensum extensus sit absque termino, quàm Prælectionum nostrarum, quibus, & nisi eundem apponerem epilogum, quo Philosophiam suam signavit Aristoteles, parum viderer, alijs fortasse facere Peripatericè; &, nisi ad hanc Metam, tanquam ad Rupem inconcussam immobilemque vos agglutinarè, ut tuti sitis, inter tot maris turbulentissimis alternis æstibus reciprocantes fluctus, qui hinc abeuntibus imminet, parum mihi viderer facere

Christianè, ac minus, quàm parum
Religiosè. Hoc igitur
agamus.



ARTI-